

V 9
1230



Q. N. 237, 10.

D. JOHANNIS BUGENHAGII,
Pomerani,

EPISTOLA APOLOGETICA

Ad

DANLÆ ET NORVEGLÆ
REGEM,

Gloriosissimæ memoriæ,

CHRISTIANUM III.

&c. &c. &c.

Contra

Scriptores adiaphoristicos, aliosque Obtrectatores, Wittenbergæ, Anno MDL. prima Octobris, scripta;

Nunc verò

Unà cum ejus *Apologia* adversus *Martinum Bucerum* ad dilucidandam *Historiam Bugenagianam*,
Hafniæ, Anno M. DCC. VI. editam,

in lucem publicam
reducta

M. CHRISTOPHORO FRIDERICO LÆMMELIO.

HAMBURGI,

Sumptibus Sam. Heylii & Jo. Gottfr. Liebezeitii, Anno MDCC IX.

Vg
1230

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



Basilii Epist. XXXVI.

Ad calumnias tacendum non est, non, ut
contradicendo nos ipsos ulciscamur; sed
ne mendacio, inoffensum progressum
permittamus, aut eos, qui seducti sunt,
damno, quo afficiuntur, inhærere sinamus.

VIRIS

Magnificis, Summè ac plurimum Venerandis, de Ecclesia Christi optimè meritis, & adhuc benè merentibus atque Vigilantissimis,

Maximè Reverendi

MINISTERII HAMBURGENSIS

DNO. SENIORI,

DNIS. PASTORIBUS,

Cæterisque

Omnium Ecclesiarum, quæ Christo hic colliguntur,

DNIS. ARCHI-DIACONIS,

æquè ac

DNIS. ECCLESIASTIS,

Omnibus & singulis,

Dominis Patronis atque Fautoribus

Gravissimis, longè æstumatissimis, æternoque honore prosequendis,

MONU.

MONUMENTA HÆC APO-
LOGETICA

*Sinceri Theologi, ac purioris
Doctrinæ Assertoris,*

**B. D. JOHANNIS BUGEN-
HAGII,
Pomerani,**

Non solum de exteris quamplurimis, in
diversis Regnis & Regionibus; sed & de Hamburgi,
Emporii hujus Celeberrimi, Ecclesiis, Scholisque
optimè ac immortaliter meriti

Ex

Debitâ observantiâ, gratoque animo pro
benevolâ OPERUM WELLERIA-
NORUM in usum Ecclesiæ Christi
receptione dicat, dedicat & offert

Vestr.

*Magnif. Summè, Plurimumque
Reverend. Amplitud. aequè ac
Dignitatum*


Hamburgi d. XVI. Mart.

M. DCC. IX.

Observantissimus atq; Studiosissimus

M. Chr. Frid. Læmmelius.

PÆFA-



PRÆFATIO
ad
Candidum Lectorem.

DAri, ut olim; sic et hęc seculo,
Lector benevole, non paucos, qui *Deo Ter*
Optimo Maximo, *Eumque ἀνομιχῆτως*
colentibus adversantur quotidie, quis est, qui
negat? Certè & illos nauci & tanquam homines de-
terrimos habent, indignos, quos sol adspiciat, aut ter-
ra ferat, qui quantò gloriâ digniores; tantò ejusdem
negligentiores, ac proinde nihil ad ostentationem,
omnia ad conscientiam referentes, seipsis & theatro pe-
ctoris sui contenti malunt scire ac noscere multa, quàm
à multis vicissim nosci. Hinc eorum verba malitiosè
pervertunt, optimè dicta & scripta malè, imò pessimè
interpretantur ac calumniantur; quinimò nec mortuis
& in pace jamdudum quiescentibus parcendum putant;

A

sed

sed tanquam lepores mortuo leoni insultant eis. Hoc suo exemplo, dum adhuc in vivis erat, non unâ vice expertus, post ejus beatam ἀνάλυσιν confirmat sincerus ille Theologus, b. BUGENHAGIUS. In Epistola enim Apologetica ad Daniam & Norvegia Regem, gloriosissima memoria, CHRISTIANUM III. ita scribit: Studet nuñd Diabolus nos conspurcare & opprimere suis mendaciis per ADIAPHORISTICOS SCRIPTORES, qui scribunt multis & publicis scriptis in totum mundum, quod nos Theologi, qui sumus fideles ministri Christi (testes sunt nobis multa Ecclesia Christi, quibus fideliter servivimus, & adhuc hodie agnoscunt cum gratiarum actione fidele Ministerium nostrum) acceptâ pecuniâ à MAGISTRATU nostro, proditores facti sumus Evangelii Christi, & abjectis omnibus bonis ordinationibus defecimus à fide ad doctrinam Demoniorum & ad cultus Anti-Christi. Et audent hypocrite publico scripto jurare per NOMEN CHRISTI & JUDICIUM EJUS contra nos, imprimis verò contra me, & constituere se in locum judicii Christi, & judicare conscientiam meam &c. Ad GEORGIIUM vero SPALATINUM & JOHANNEM AGRICOLAM, tunc Spira agentes, scribens in hæc erumpit verba: Dolebitis certè meam vicem, FRATRES IN CHRISTO DILECTI, ubi videritis meam orationem. Quid futurum putatis per depravatores nobis defunctis, quando nostri libri ita corrumpuntur nobis

viven-

viventibus? sed viderit ista Deus. Et alibi in Præfatione ad Lectorem Interpretationis in Epistolam Pauli ad Romanos queribundâ voce exclamat: *Multi libri nunc, optime Lector, excuduntur in vobis Autoribus, licet viventibus, per quod quàm malè consulatur posteritati, quis ignorat, nisi sit valdè stupidus? Inter quos libros, imprimis planè habeo MEUM HIOB, qui jam his nundinis Francofordianis, Anno Domini 1526. venit in manus meas haud gratus hospes; vidi enim non esse eum, quem in Ecclesia nostra vulgò interpretatus fueram ante annum &c.* Et adhuc hodiè dari ejusmodi homines, qui sincerum hunc Theologum injustè traducunt & calumniantur, scripta ejus sanctissima malitiosè depravant, illisque aliam, imò falsam mentem affingunt, ex hodiernis probatæ fidei scriptoribus notum satis est atque perspectum. Unum ex multis adduco in rei veritatem Celeberrimum Theologum & in Regiâ Universitate Hafniensi Professore publicum ordinarium, SEVERINUM LINTRUPIUM, Fautorem meum longè æstumatissimum, qui in AUTO-SCHEDIASMATE Epistolico HISTORIÆ BUGENHAGIANÆ annexo pag. 109. ita scribit: BUGENHAGIUM sanè, postquam tot cucullatos à præsepibus fucos arcere, tot lymphaticorum Catabaptistarum, Sacramentariorum, item & Flaciana dementia affectarum examiniibus se unum objicere ausus, crabrones ubique sectarios irritasset, illorum quidem odium exercitum sem-

per, illorum Sycophantiis & cavillationibus appetitum
 fuisse, nec mirum Ecclesie, nec novum unquam acci-
 dit, istud convitiandi cacœthes inveterato istiusmodi
 hominum furori condonare dudum assueta. Sed re-
 pertum nuper hominem in Ecclesia natum atque edu-
 catum, pietatem velut secum natam ac morituram,
 animumque ab omni partium studio purgatissimum, im-
 mani hiatu professum, qui nulla provocatus injuria,
 nullis nisi levissimis factus ratiunculis, gravissimis in fa-
 mam Theologi, ipsis etiam hostibus inviolatam ac de-
 fensam, nulli certè nisi malo lesam, accusationibus de-
 baccharetur, &c. Atque istos sanè quidem Theonini
 dentis morsus spernit meritò omnibus Sycophantarum
 calumniis excessus **NOMEN BUGENHAGIANUM.**
 Produci tandem & ea possent, quæ hîc *Hamburgi Vir* qui-
 dam *Amplissimus* ex *Regiâ Academia Regiomontanâ*
 non ita pridem hîc veniens, præsentem *Viro* alio *Clarissimo*,
 relata mihi referebat de *b. Bugenhagio*; sed quia pravè ad-
 modum illa se habent, & offendiculi sunt plena potius, ne
 offendant alios atq; confundant, silentio sunt prætereun-
 da. Hæc & longè plura falsissimè de hoc *purioris doctrinæ*
Affertore scripta atque narrata, non *Epistolam Apologeti-*
cam solum ad *Daniæ & Norvegiæ Regem* ab ipso
 olim perscriptam, Ejusque in *Fonam* *Commentario*
 præfixam; sed & ejusdem fermè argumenti *Apolo-*
giam adversus *Martinum Bucerum* candidè ac pru-
 denter editam, cum aliquot *Additamentis*, ansam prelo-
 ite.

iterum subjiçendi mihi dederunt; Eum præsertim in
 finem, ut & aliis, maximè fidelibus *Ecclesiæ Mini-*
stris atque *Doçtoribus*, quando iisdem gravantur ca-
 lumnii; siquidem eorum fortuna & calumniatores
 & obtreçtatores facilè invenit, hujusmodi *παθήματα*,
 quæ Theologum hunc vehementer afflixerunt, ma-
 ximo sint solatio. *Faxit DEUS TER OPTIMUS*
MAXIMUS, ut omnia cedant in Gloriam suam sem-
piternam, & Proximi salutem!

Scribeb. Hamburgi
 d. XXVIII. Febr.
 M DCC IX.

M. Christophorus Fridericus
 Læmmelius.

A 3

VIRO

VIRO

*Nobilissimo, nec non Doctissimo,*CHRISTOPHORO FRIDERICO
LÆMMELIO,

S. D.

P. F. A.

Nomen *Bugenhagii* vindicare, famam tueri, innocentiam probare, ut *Hafnia* cœpisti, quod felix, faustum fortunatumque sit, de novo instituis. Bene omnia se habent, facis, quod decet, tuaque pietate delector, quod *Clarissimos Viros*, vindices sui, suscitare, quam eorum manes virulentis dictis sollicitare malis. Nosti Seculi genium & rectè doles, friget caritas, exulat tolerantia, virtutis studium inane multi nomen putant. Nihil sanctum, nihil inviolatum gravis illa bonorum pestis relinquit maledicentia, ex aliorum ludibrio non pauci suam censent famam & existimationem. Sed valèat ignobilis accusatorum catterva, rectius Tu, *Virorum Optime*, *Bugenhagii* cineribus justa persolvis, eique arma temporis injuria situ obducta & pene obliterata in hostes restituis, monumentis apologeticis servatis, quæ ob exiguam molem perire facile poterant. Perge ita de *Wellero*, *Bugenhagio*, *Chemnitio*, quantus Viris! perge de publico bene mereri, scripta serva, laudes deprædica, nec tibi deerit aliquando laudum tuarum Præco. Vale.

Hamburgi ips. Cal. Febr.

M DCC IX,

I. N.

I. N. J. C.

I.

EPISTOLA APOLOGETICA

*contra*Scriptores Adiaphoristicos,
aliosque obtrectatores.*Serenissimo Principi Et Domino,***Dno. CHRISTIANO III.****Daniæ & Norvegiæ, Vandalorum &****Gothorum Regi, Duci Schlesvicensi, Holsatiæ,
Stormariæ & Demariorum, Comiti in
Oldenburg & Delmenhorst &c.****Domino suo Clementissimo,***Gratiam Et pacem à Deo per Jesum Christum,
Filium ejus, justitiam nostram,
exoptat***Johannes Bugenhagenius, Pomeranus,
Doctor.**

Christus dicit, **SERENISSIME REX**, *Johannis octavo, de
Diabolo: Ille homicida erat ab initio, & in veritate non
stitit, quia non est veritas in eo; cum loquitur mendacium ex
proprio loquitur, quia mendax est & pater ejus, id est, Fons men-
daci;*

daciis; occidit enim ab initio genus humanum suis mendaciis. Hæc videre licet hodie in operibus Diaboli, quæ exercet ipse contra nos miserè afflictos Prædicatores & Ecclesiæ Christi Doctores. Postquam enim voluntate, consilio, jussione & persuasione *Illustrissimi PRINCIPIS ELECTORIS* captivi (quem Deus liberet sua gratia!) dedidimus hanc nostram civitatem, & *CÆSAREA MAJESTAS* dedit nobis subditis & obedientibus pacem, cum hæc promissione, quod nihil agere vellet contra *Religionem nostram*, quam hæctenus servavimus, secundum *Augustanam Confessionem*, à quâ ne latum quidem digitum unquam discessimus, videbat Diabolus, quod non posset nos delere suis homicidiis; *Christus* enim cum suis Angelis fideliter conservabat nos, studet nunc, videlicet Diabolus, nos conspurcare & opprimere suis mendaciis per *Adiaphoristicos scriptores*, qui scribunt multis & publicis scriptis in totum mundum, quod nos Theologi, qui sumus fideles Ministri Christi (testes sunt nobis multæ Ecclesiæ Christi, quibus fideliter servivimus, & adhuc hodie agnoscunt cum gratiarum actione fidele ministerium nostrum) accepta pecunia à *Magistratu* nostro, proditores facti sumus Evangelii Christi, & abjectis omnibus bonis ordinationibus defecimus à fide ad doctrinas Dæmoniorum & ad cultus Anti-Christi. Et audent Hypocritæ publico scripto jurare per *Nomen Christi* & iudicium ejus contra nos, inprimis verò contra me, & constituere se in locum iudicii *Christi*, & judicare conscientiam meam, & minari mihi iudicium *Christi*, his verbis: *Hoc*, inquit, *testor coram Christo Domino meo justo iudice, qui hæc & alia plura, quæ agit Doctor Pomeranus contra veritatem & contra propriam conscientiam, rectè judicabit; Nec prodest eis, quod dicunt, se audivisse à Viro fide digno, quasi Pater Lutherus dixerit: Post mortem meam nullus ex his Theologis manebit constans; primum* quia

quia omnis homo mendax; noli ergo jurare super verba hominis, qui potest mentiri, *non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum; non enim erit impunitus, qui hoc fecerit*; Deinde, quia accusant mendacii *sanctum Virum, LUTHERUM*; Hæc enim verba: *Post mortem Lutheri, nullus ex his Theologis manebit constans*; si rem ipsam spectes, sunt simpliciter falsa, ita, ut & hostes Evangelii sentiant & dicant esse mendacium, & doleant non esse veritatem. Præterea scribunt ex merâ invidiâ (id quod nemo non videt) contra hanc nostram *Scholam*, quæ floret in *Christo*, cui fit gratia, his verbis: *si haberemus mille Scholas Witebergenses, deberemus omnes potius perdere, quàm permittre, ut in una tanta mala fiant; in ea enim corrumpuntur adolescentes falsis opinionibus & prava doctrina contra Evangelium, hi omnes, quando revertuntur quisque in patriam suam, corrumpent alias Christi Ecclesias*: Ita faciunt *Adiapheristici* scriptores hanc divinam *Scholam* suis mendaciis & blasphemis communem pestem Ecclesiarum Christi. *Christe, Fili Dei vivi*, qui nos voluisti tuos esse ministros, hæc sunt horrenda & tragica Satanæ mendacia contra nos misere afflictos, contra Ecclesias tuas sub cruce laborantes, contra sanctum ministerium nostrum, contra scholas sanctas, quibus blasphemis perturbaverunt Ecclesias tuas & multos bonos homines, quorum multi dolent de nostro quasi lapsu, quidam seducti in ignorantia etiam maledicunt nobis; cum autem resciscunt hujus rei veritatem, gaudent & gratias agunt Deo, & gratulantur nobis: *Ita electis & dilectis Dei omnia cedunt in bonum*. *Generosus* quidam *Vir*, & eruditus dixit nobis: *PRINCIPEM* captivum, *sanctum Virum* ita persuasum istis mendaciis, ut diceret in *inferiore Germania* ad eum malum verbum de nobis *VVittenbergensibus*; sed solita modestia cum animi dolore; scimus enim, quod plus dolet

dolet de hoc scandalo, quàm de proprio damno & captivitate; ita & accidit junioribus PRINCIPIBUS in ista calamitate ipsorum per mendaces homines. Sunt quoque aliqui Prædicatores, qui jactitant fidem, imprimis superbi & ambitiosi, sed pro charitate injiciunt in plebem odium contra nos. Hæc est pietas eorum & merces nostra. Alicubi hypocritæ, qui ex nobis exierunt, sed ex nobis non fuerunt, item & hostes Evangelii urserunt ita homines: *cur non deficitis ab illa doctrina, à qua defecerunt vestri Præceptores, ut videtis in adiaphoristicis scriptis?* Miror autem vehementer, quid sibi velint fratres, qui aliunde venientes ad nos, gaudebant & gratias agebant Deo de omnibus, quæ videbant, audiebant, & cognoscebant apud nos; & tamen reversi ad sua, calumniabantur omnia nostra, ut ante, addentes afflictionem, afflictis. Fortassis hoc est, quod CHRISTUS, caput nostrum in Psalmo XLI, v. 7. dicit: *Accedit aliquis, ut exploret corde perverso, querit, quod calumniatur, recedit & detrahit &c.* Erant & apud nos, qui delectati ista ignominia & contumelia nostra, insidiabantur, ut caperent nos vel in sermone, & scripserunt ista mendacia ad alios quasi agnitam & perspectam veritatem, forte illi, quos quandoque offendimus justis increpationibus, & alii legentes talia, de quibus olim eram bene meritus, scripserunt ad alios; Ita miserunt contra nos Cælum & terram, ut nusquam susciperemur, ne ab Ecclesiis quidem nostris, si quandoque exigeremur in exilium cum uxoribus & Libris nostris propter Evangelii veritatem. Scripserunt & *Adiaphoristici Scriptores* ad alias *Academias*, admonentes, ut & ipsæ scribant contra nos, id quod nobis scripserunt *Domini & fratres nostri ex Academia Regiomontana.* Quis non videt hic malitiam? Certè homines, in quibus aliquid est humanitatis, quos

quos Diabolus non excæcavit odio nostri, bene & certo possunt judicare de scriptis eorum, quæ scribunt contra nos. Sunt hic & *Domini & fratres nostri*, cum quibus summa familiaritas & amicitia mihi intercedit, qui me sæpè admonebant, ut scriberem contra tales calumnias, ita, ut tandem mihi molesti essent suis admonitionibus. In publicis conviviiis, quo ibam, sperans in hisce turbis aliquam lætam horam me ibi habiturum, vel inter fratres; sed accidit mihi, quod *Christo in Psalmo LXIX, v. 22. 23. dicit: Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit, consolantem me quæsi & non inveni. Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Scripsi ergo ad *TUAM MAJESTATEM* ipsam hujus rei veritatem, *Deus scit, quod non mentior, & easdem literas exscriptas misi Principibus & Civitatibus*, quibus prædicaveram, ne scandalizentur in nobis per mendacia aliorum; sed lectis literis reddiderunt nobis *Adiaphoristici scriptores* plaustra Calumniarum, minantes nobis superbisimè, nisi emendemus nostra mala. Quibus dixi: Cessate, fecimus, quod exigitis à nobis. Emendavimus omnia mala, quæ scribitis contra nos, & traducitis nos toti mundo. *spectaculum facti sumus & Angelis & hominibus.* Quomodo, inquam, emendastis? Per hoc, inquam, quod dicimus: *Mendacium Satanae esse omnia, quæ scribitis contra nos.* Ajunt: Vos confiditis in hoc, quod vobis licet confugere ad statum inficiale. Respondemus: Non; sed probamus testimonio omnium *Ecclesiarum Christi*, quibus fideliter prædicavimus, ut ante dixi: *Ego in occulto locutus sum nihil, quid me cadis? interroga eos, qui me audierunt.* Tunc videns pertinaciam eorum, & quod quæritur talibus scriptis seditio in hisce terris contra *Magistratum nostrum*, ad quam non debemus nostra responsione & contentione cooperari, & quod

ista tempora sunt nobis fatalia, de quibus dicitur Apoc. XIV.
 v. 12. HIC EST PATIENTIA SANCTORUM, ET EO-
 RUM, QUI MANDATA SERVANT, ET FIDEM JE-
 SU. Hæc, inquam, reputans apud me, cœpi cogitare
 de silentio & patientia, id quod postea pii, eruditi & pru-
 dentes Viri in nobis probaverunt. Dixi: *Custodiam vias meas,*
ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cum
consisteret peccator adversum me. Obmutui & silui à bonis, &
dolor meus renovatus est &c. Mea est vindicta, Ego retribuam,
dicit Dominus. Et St. Paulus Galatis: Qui conturbat vos, por-
tabit iudicium, quisquis fuerit ille. Qui vos spernit, me sper-
nit, dicit Christus, & qui me spernit, spernit Eum, qui me mi-
si. Utinam tandem videant isti *Scriptores*, quanta mala fece-
 rint in *Ecclesia Christi*, scribendo contra *fideles Christi mini-*
stros, & timeant *iudicium Dei*. Ego quotidie oro *Deum*, ut
 hostibus, persecutoribus & calumniatoribus nostris igno-
 scere, & eos ad te convertere digneris, te rogamus audi
 nos: *Ne tradas me calumniantibus me, ut non calunnientur me*
superbi. Pater ignosce eis, quia nesciunt, quod faciunt. Et
consolor me ipsum his Christi verbis: Beati estis, cum maledi-
xerint vobis homines, &c. Sic fecerunt & Prophetis, qui fue-
runt ante vos. Sic fecerunt & Filio Dei in carne nostra: Con-
fidite; Ego vici mundum &c. Christus non se maledixit; sed
sicut agnus ductus est ad mactationem, & sicut ovis coram tonden-
te obmutuit, & non aperuit os suum. Quia verò mundus non
audit nos, sed perpetuò clamat contra nos: In testimonium
præbes de te ipso, testimonium tuum non verum. Dico Domino:
Domine, Deus meus, si feci istud &c. Psalmo VII, v. 4. seqq. Hæc
omnia mala venerunt super nos, nec tamen oblitus sumus tui, nec per-
fide egimus contra pactum tuum &c. Psalmo XLIV, v. 18. seqq.
 Hic recordor *Historiæ Davidis*, quam legis 2. Reg. XVI.
 f. 2. Samuel. XVI, v. 7. seqq. Clamavit Simei contra Da-
 vid:


vid: *Egredere vir sanguinum &c.* David autem dixit: *Sinite, ut meledicat mihi, Dominus praecepit ei, maledic Davidi &c.* Dico autem Tuæ MAJESTATI veritatem, quod in nostris Ecclesiis & Scholis & in omnibus hinc terris summa est concordia, non solum Doctrinæ Christianæ; sed etiam Personarum, id est, Ministrorum, ut gaudeamus & gratias agamus Deo, quando audimus & alibi esse talem concordiam; pro aliis autem oramus Patrem in Nomine Jesu Christi. Et ego hoc publico scripto admoneo fratres nostros omnes, ut studeant per Spiritum Sanctum hanc sanctam concordiam conservare. *Si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis; si verò invicem mordetis, videte, ne ab invicem consumamini.* Bone Deus! quantam sylvam præbeo eis calumniandi nos & omnia nostra? Præterea clamabunt: Vos debetis respondere de Lipsico Interim. Ego non debeo respondere, neque de Hinter Im, neque de Fur Im; Non enim mihi sum conscius alicujus malæ doctrinæ, neque Magistratus noster hoc unquam à me postulavit, tantum abest, ut coëmerit, quemadmodum mentiuntur contra nos. Postremo clamant: *Vos nunc tacetis, & non vultis consulere afflictis Ecclesiis.* Propterea SERENISSIME REX, dedico Tuæ MAJESTATI & Tuo NOMINI hos meos *Tractatus*, qui continent materias utiles & necessarias, præcipuè hoc tempore, Ecclesiis Christi, ut Tua MAJESTAS legat & judicet; Dedit enim Deus Tuæ MAJESTATI intellectum, ut possit cognoscere *Magnum Mysterium Dei in Christo*, ut & omnes videant nos hactenus non tacuisse. Tractavimus enim hæc publicè in Schola nostra, statim in principio, quando post deditionem Civitatis rursus coepit colligi. Hanc Doctrinam publicè docemus in salutem omnium, qui sunt in Imperio Romano, & omnium qui ad Ecclesiam Christi pertinent, etiam alibi extra Imperium agentium. Si

verò Imperium aut *Papale Concilium* hanc Doctrinam non suffinet, quemadmodum prædictum est in *Daniele*, sciat vicissim, quod *Christus, Filius Dei*, pro nobis Victimam factus, qui constitutus est à Deo *Judex vivorum & mortuorum*, non sustinebit posthac amplius insignem blasphemiam in *Spiritum Sanctum* in hac tam clara veritatis Evangelii luce. Nam & *Concilium Tridentinum* jam ante statuit blasphemiam in *Christum* his verbis: *siquis dixerit, peccata omnia illi esse remissa, qui remissa esse certò credit ac statuit, atque hanc esse illam fidem, quam requirit Deus à peccatore, ut justificetur, Anathema sit; Non enim sic dicunt sacra literæ, in quibus illud est contra superbam hanc & temerariam sepè etiam falsam fidem. Quis scit, si convertatur & ignoscat Deus? Quibus respondet Paulus: Etiam si nos Apostoli, aut Angelus è cælo aliud Evangelium evangelizaverit, præter id, quod prædicaverimus, & quod à nobis accipistis, sit anathema. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est JESUS CHRISTUS.* Et *Petrus* plenus *Spiritu sancto* in domo *Cornelii* coram Romanis militibus, qui primi ex Gentibus susceperunt ab Apostolis *Evangelium Christi*, longe diversum contra hanc blasphemiam pro *Christi Gloria* statuit ex sanctis Prophetis: *Christo*, inquit, omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per Nomen ejus, quotquot credunt in Eum. Ibi negat *Petrus & Spiritus Sanctus*: In ullis sanctis Prophetis legi illam turpem & blasphemam dubitationem, quam docent *Papistæ* contra fidem in *Christum*. Videbit quoque Tua MAJESTAS in hisce meis *Commentariis*, quod *Spiritus Sanctus* non in *Sacris literis*, ne in *Joële* & in *Jona* quidem, hanc dubitationem dixit aut dicere potuit. Cessate ergo oppugnare agnitam Evangelii veritatem. Jam pergit *Daniel*, pergit & *Apocalypsis* expositor *Danielis*, CHRISTUS
SER-

SERVET SUAM ECCLESIAM CONTRA OMNES
PORTAS INFERORUM IN VITAM, ÆTERNAM.
Amen! Scripsi Wittenbergæ M D L. Prima Octobris.



II.
A P O L O G I A
adversus
MARTINUM BUCERUM.



Eruditissimis Viris Magistris,
GEORGIO SPALATINO,
Ecclesiæ Altenburgensis Pastori,

et
JOHANNI AGRICOLÆ,
Islebianæ Scholæ Archi-Didascalo,
jam Spiræ agentibus,

Dominis ac Fratribus suis,
Johannes Bugenhagenius, Pomeranus,
Salutem!

DOlebitis certe meam vicem, *fratres in Christo dilecti*, ubi videritis meam orationem. Quid futurum

rum putatis per depravatores nobis defunctis, quando nostri libri ita corrumpuntur nobis viventibus? Sed viderit ista Deus. Quia vero jam estis in eo loco, ubi forte & venditur & legitur *Psalterium illud Germanicum*, quod sub nomine meo evulgatum est, & jactabitur à quibusdam nos cum *Sacramentariis* illis sentire, mitto ad vos *Pomeranum* ipsum, ut pro se loquatur, ut interim vobis liceat esse securos. Nam tametsi vos essetis mihi optimi in hac causa patroni; tamen quia Pomerani fratres estis, vobis pro me in hac odiosa causa dicentibus, non crederetur, Dominus sit vobiscum!



Johannes Bugenhagenus, Pomeranus,
De
PSALTERIO SUO GERMANICE
TRANSLATO,

Quod hoc

Anno Domini, MD XXVI.

Ex Basilea prodiit in lucem.

AUGUSTÆ per MARTINUM BUCERUM, commentarii mei, quos in *Psalterium Davidis* latine scripseram, versi sunt in Germanicam linguam, & hoc anno primum, ex officina *Adæ Petri*, civis Basilensis, prodierunt ita Germanice versi in lucem, in quibus sunt quidem aliquot fen-

sententiæ, non ex mea farina, sed facile fero; Gaudeo enim quacunq̃ue tandem occasione prædicetur Christus.

Non feram autem, quod meis sententiis, & sub nomine meo admixta sunt, quæ ego sanè non possum (ita me amet Christus) non impia judicare, nempe quæ vel in CXI. Psalmo, cujus initium est: *Confitebor Tibi* &c. de Eucharistia inserta sunt, quasi ego sim assertor illius opinionis, qua contra manifesta *verba institutionis Christi* negatur à fidelibus, in Eucharistia *verum Corpus Christi* edi, & *verum ejus sanguinem* bibi, quasi ita oporteat contra *verbum Christi* pugnare, quemadmodum Dei favore, contra traditiones humanas, & impium hujus tam sancti Sacramenti abusum, pugnatum est.

Quasi vero non sim is, qui non solum in aliis libris, sed etiam in publicum, contra hanc opinionem, edita ad *D. Hessum* epistola, haud obscuris verbis meam testatus sim sententiam? ita ut *Sacramentarios* provocarim, ut editis in melibellis, alii sua eruditione, alii suis ineptissimis ineptiis, non tam contra me, quam contra *Christi verbum*, abusi sint. Qui potuit ista interpres meus ignorare? Qua ergo conscientia ausus est mundo imponere, quasi ego ita & sentirem & docerem? Ego scilicet hic convitia dicerem, si istam perfidiam dignis verbis tractarem? Non convitia, sed veritatem, vel mundo judice.

Sed ego non ago, ut vel meum nomen defendam, vel cujusquam contaminem. Viderit ista Deus, qui justa judicia vult, ut mendaciis seducantur, qui dilectionem veritatis non susceperunt. Ago vero nunc tantum, ut non sinam sub nomine meo, quæ non sentio, atque adeo contra quæ propter *institutionem Christi* sentio, invulgari, aut si qui gaudent seduci & humanas sequi cogitationes, non di-

C

cant

cant me, contra publica de me testimonia, seductionis vel auctorem vel cooperatorem.

Nam tantum abest, ut *Bucero* male velim, ut etiam doleam, eum in hæc incidisse utque nunc cum dolore quoque hoc dicam, quod me dicere oportet, postquam illa opinio, non solum sub nomine meo, sed etiam in insigni Psalmodum opere invulgata est, nisi tacendo velim seductionis habere consortium. Ipse mihi testis est, quanti virum fecerim, & quo candore suspexerim, ita ut ejus arbitrio meum Psalterium permiserim. Sic enim in præfatione illa sua in Psalterium scribit, me ad ipsum scripsisse, & vere scribit:

Interpretare, mi BUCERE, hoc meum PSALTERIUM quam liberrime, muta, adde, deme, in alium ordinem colloca, quadam suo loco repone, quadam del clarius vel aliter interpretare, ut non magis meum, quam tuum sit Psalterium. Omnia hic tibi per me licebunt, quibus consultum speraveris nostris Germanis, ut nunc indocti & pueri aliquid Psalmorum intelligant, in quibus intelligendis non parum antehac doctissimi etiam Doctores hallucinati sunt. Perge itaque, Dominus sit tecum Amen. Hæc mea sunt, quemadmodum ipse vere scribit, quibus ita subjungit: Hæc sunt verba interpretis nostri, JOANNIS POMERANI, que sua manu ad me per scripsit, secundum que me ita continui, ut nihil omiserim eorum, que ipse POMERANUS latine ad veram & genuinam Psalmorum intelligentiam utiliter scripserat, licet in alium ordinem redegerim, quemadmodum videbatur commodius pro laicis futurum: Hæc ille.

Quod si præstitit, quæ promisit, gaudeo: Non enim vidi omnia, sed unde quæso causa illa Sacramentaria irrepit in meum Psalterium? forte hic liber aptus visus est, in quo omnia, quæ quidam contra nos sentiunt, vel refragantibus nobis, sub nomine nostro venderentur. Id quale sit, quis ignorat?

Esto

Esto! propter conscientiam non voluerit nostram de Eucharistia sententiam asserere, ne aliena quidem reddendo sive interpretando, cur non in totum omisit, quando & ipse recte asserit, non esse necessarium, ut in eo Psalmo de Sacramento Eucharistia dicatur? & ego certe laudassẽ eum, ut virum bonum, qui meos (ut ipse videri vult) errores, propter conscientiam, non ausus fuisset prodere Germanis. Non enim ab ullo postulamus, ut contra conscientiam agat vel dicat, utcunque erret. Cur, ubi nihil opus erat, occasionem quæsit inferendi suum dogma, quasi meum? ut sic nomen meum & ministerium verbi, mihi à Deo commissi, contaminaret & fidelibus suspectum redderet, quando interim ego optima quæque de eo sentiebam?

Omnis vero excusatio hic ridicula erit, quando ego in eo loco paucis verbis de Sacramento dixi, quæ nihil dicunt contra istam novam opinionem, quæ (vel omnibus Sacramentariis testibus) ipse potuisset bona conscientia non solum ad verbum reddere, sed etiam publice prædicare. Quod autem propter hæc verba, non sentiam, quod nova opinio docet, non obscuris verbis testatus sum in præcedenti Psalmo: *Dixit Dominus &c.* Ut non dicam, quod, quando scribebam, ne suspicari quidem licuerit, hoc incendium contra *Christi institutionem* aliquando sæviturum.

At forte eadem verba mea, quibus liberum eum feci meis verbis addere, demere &c. non solum eum excusabunt, sed etiam me arguent injuste agere, quod accusem propter istam additionem. Quasi vero ego non præscripserim ei sententias, in quibus se contineret? Aut propterea scilicet ederet sub meo nomine sententias, quas non ignorat à nobis publice damnari? Poterat & alius addidisse meis sententiis has & similes: *lapidem esse panem, aquam esse ignem,*

Turcam esse Christianum, Deum num regnare &c. & postea excusare, atque adeo contendere se jure fecisse, quia permissem, ut adderet, quæ vellet, ita scilicet egregie præstaret, quæ ego ex ipso speraveram?

Videant alii hic *meum candorem*, ego autem planè hic *meam* accuso *stultitiam*, immò & peccatum fateor, quod istum *thesaurum Verbi Dei*, mihi à Deo commissum, hominis arbitrio permiserim, cum tamen ipse doceam, *nulli fidendum, nisi uni Deo, utcunque charitas sit omnium serua*. Stultissimus sim necesse est, si non posthac cautius in istis fidei rebus agam. Nam mea hac (ut ingenue fatear) stultitia, non tam me, quàm optimos quosque, qui apud nos sunt, viros de Christi Evangelio optime per gratiam Dei meritos reddidi suspectos, quasi sentiant hoc de Eucharistia mecum, quod nemo ex nobis, qui publice docemus, sentit, quanquam liceat facile mederi isti morbo sive suspitioni. Id autem quo pacto factum sit, jam exponam.

Ubi cœperat venum exponi *Psalterium Germanicum*, ego securus agebam, quasi omnia, quæ volebam, recte curata essent, donec ferè post dimidium annum quidam ex *Augusta* veniens indicaret: Sacramentariam illam opinionem esse *Psalterio* insertam; Obstupui primum, deinde ubi addidisset: Et quia tu sic diceris scripseris, ajunt propterea totam *Scholam Wittembergensem* ita sentire, cœpi ridere, reputans hominem ineptire. Quid, inquam, hoc ad totam Scholam, si unus *Pomeranus* ita sentiret & scriberet? Verum penitus rem intuitus, perspexi famam istam non omnino vanam, atque hic patrem illum mendaciorum Sathanam satis aptam speciem habere, & fucum, quo persuadeat nos omnes ita sentire.

Siquidem præposita est *Psalterio* præfatio illa mea ad
Illustris-

Illustrissimum Saxonie Principem, Fridericum, Electorem &c. cuius memoria in benedictione est, in qua præfatione, fateor, me ea, quæ in Psalterium scribo, in nostra Schola docuisse, & præterea additæ sunt commendationes Doctoris MARTINI LUTHERI, & PHILIPPI MELANCHTHONIS, quibus *Lectori* commendant omnia, quæ in Psalterium scripti. Cum ergo in *Psalterio Germanico* lecta fuerit impia de Sacramento opinio, dicetur non solum *Pomeranum*, ita sentire; sed etiam publice in nostra Schola eam esse assertam, & per Doctorem *Martinum & Philippum* publico testimonio confirmatam, quando in Schola publice tractatum asserit *Pomeranus*, & illi duo *primarii viri* confirmant, quicquid in Psalterium *Pomeranus* scripsit. Itaque totam Scholam in hac parte, non solum non contradicere *Pomerano*; sed etiam eadem cum ipso docere. Hoc voluit Sathan: dicuntur ista latine excudi, & mitti ad Gallos, & illos, qui Germanice nesciunt. Si negotium Dei agunt, quid opus est istis emendicatis, & ementitis suffragiis?

Igitur te, *Christiane lector*, per *Christum* obsecro, ut & verbis & literis admoneas tuos, ad quos forte nostra hæc non perveniunt, si inciderint in *Psalterium* illud *Germanicum*, ne hanc de Sacramento opinionem, qua negatur *verum Corpus Christi* edî à fidelibus, quando editur *Panis Christi*, & *verum Sanguinem Christi* ab eisdem bibi, quando bibitur *calix Christi*, sub nomine nostro suscipiant. Nam etiamsi vera esset illorum opinio; tamen dicere *Pomeranum* ita sentire, ita in Schola hac publice asserere, ita ad *Illustrissimum Saxonie Principem, FRIDERICUM*, in Psalterio scripsisse, & viros illos, Doctorem *Martinum & Philippum*, publica commendatione hanc, quasi *Pomerani* opinionem confirmare, tam impium est, ut vel me tacente (ô utinam tacere licuisset) quotquot

C 3

nostra

nostra audierunt, & legerunt, etiamsi adversarii sint, cogantur clamare: tam impudentia esse mendacia, ut nihil impudentius dici possit.

Nolo ego esse confors illorum, qui bonas perturbant conscientias, pro quibus liberandis *Christus* mortuus est, & remorantur cursum *Evangelii*, ut alii ista dissensione offendantur: alii vero nihil agunt aliud, quàm negotium Sacramentarium, quasi jam *revelatum Evangelium* nihil sit, nihil remissio peccatorum, nihil pacatæ per fidem conscientia, nihil quod filios Dei agnoscimus nos esse factos, nihil quod rectus *Sacramentorum Christi* usus mundo indicatus est. Et cum perturbare possunt conscientias, nullam consolari possunt; nullam enim ne suam quidem ipsorum, qui saniores inter eos videntur, certam de suo, quem finxerunt, tropo reddere possunt. Testes sunt contra eos tam multi libri, quos ipsi de ea opinione ediderunt. Et qui istam certitudinem in ipsorum libris non requirit, dignus est, qui nihil aliud legat, quàm talia Scripta.

Nolo, inquam, confors esse illorum, ut à certis *Christi* verbis, qui me non fallit, ad dubias hominum interpretationes deficiam, sciens vel *Petro Apostolo* admonente: *quod qui loquitur, id est, docendi habet officium, certus debet esse, se non loqui nisi sermones Dei*: neque ignoro illud *Pauli*: *Qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicumque fuerit ille.*

Miror vero quoque cornicum oculos configere volentes, dicunt: omnes veteres, à tempore Apostolorum, pro opinione hac sacramentaria & sensisse & scripsisse. Sperant forte neminem præter se ipsos esse, qui veterum scripta vel viderit, vel sit visurus. Qua quæso conscientia ita asserere audent, qui tamen publicis scriptis gloriantur, se omnia, quæ veteres scripserunt, diligentissime excussisse?

Scri-

Scripterunt quidem veteres multa de spiritali manducatione, & Eucharistiæ Christiano usu, quemadmodum & nos hactenus, & prædicando & scribendo; tamen opportunis quoque locis ex Christi institutione & verbis edocti, fatentur cum *Christo* non obscuris verbis: panem & poculum Domini (quæ Eucharistia dicitur) discipulis Christi vescitibus esse verum, non fictum Corpus & Sanguinem Domini. Discipulos autem Christi voco eos, qui per Evangelium docti, confitentur, vel confiteri videntur *Christum*, & ea quæ sunt *Christi*, quales quales sint coram Deo, qui solus veros discipulos à falsis, dum latent, novit discernere. Nam in consumatione seculi primum colligentur ex hoc *regno Christi*, omnia scandala & operarii infidelitatis. Hæc non obscure videbis in illis veteribus. Et præterea ita secure scribunt veteres de Eucharistia, ut ne suspicatos quidem videre liceat, posteritatem aliud sensuram, quam ibi esse CORPUS & SANGUINEM Christi. Quin & vetustissimus post Apostolos scriptor, TERTULLIANUS, quo, ut aliis isti nostri contra nos abutuntur, asserit in *libro de Resurrectione carnis* nostram sententiam dicens: Caro nostra CORPORE & SANGUINE Christi vescitur, ut & anima de Deo fagineatur. Quid clarius dici poterat? Videatur illic locus, ut videas, quam alibi TERTULLIANUS dicit, figuram Corporis, non eam TERTULLIANO esse, quam isti sibi fingunt. Tam itaque verum est, veteres negasse in Eucharistia esse CORPUS & SANGUINEM Domini, quam verum est *Wittenbergensem Scholam* docere.

Verum non est hujus instituti, causam ipsam tractare, qui credit, credat, qui contendit, contendat. Per hæc autem, quæ hactenus dixi, tam notum volo omnibus, quam quod notissimum, *non esse meam de Eucharistia sententiam, quæ*

in illo Germanico Psalterio, de quo diximus, legitur quasi nostra. Novit Deus me secundum conscientiam meam locutum. Ignosco facile omnibus, modo cessent perturbare conscientias, quas sua opinione consolari non possunt.

Cæterum de *Psalterio latino*, quod primum invulgatum est Anno MDXXIV. securos facio & venditores & emptores, ne timeant, me posthac illud velle facere melius, ne credant Typographis semper adjicientibus: Emendatum, de novo correctum &c. Siquidem, ut ab initio invulgatum est, ita, quantum in me est, permanere debet, ut sit *memoriale illius insignis doni Dei*, quod dedit mihi usque ad finem Psalmorum absque alio duce perrumpere, quando me quotidianæ prælectiones urgebant.

Et præterea non mihi tantum arrogo, ut omnia cupiam aliis in hac Evangelii luce indicare, quæ vel aliam vel clariorem in Psalterio meo requirant interpretationem, quasi alii nihil videant, & quasi non satis sit sapienti dedisse occasionem, maxime nunc, ubi tam perspicue redditum est à Doctore *Martino* Germanica lingua Psalterium, ut etiam *commentarii* vice esse possit.

Adhæc, si nulla alia esset causa, tamen vel propter illos nihil immutare volo, qui in alieno libro volunt esse magistri, dum licet eis invenire, quod reprehendant, quibus cedere nolo, sed quenque potius relinquere volo, ut libere judicet de Psalmorum sententia. Quin potius interpretantur ipsi aliquem ex Prophetis, nondum nostro seculo interpretatum, ut eorum videamus magisterium? Legant ipsi meam præfationem, & videbunt in Psalterio, me per *Christum* præstitisse, quod promiseram. Novi quàm sit mihi curta suppellex; dedit enim mihi Deus mentem, ut possim me intra pomeria mea continere.

Niti-

Nitidius igitur forte Psalterium meum, & majori diligentia excusum, posthac exhibebunt Chalcographi, auctum vero per me non exhibebunt. Quod si quandoque visum fuerit, ut aliquid addam, seorsim edito libello efficiam, ne gravem eos altera emptione, qui nostra prius sibi pecunia compararunt.

III.

ADDITAMENTA QUÆDAM
 Ex ipso Bugenhagio, aliisque Scriptori-
 bus Celebratissimis.

In Præfatione Interpretationis in

Epistolam Pauli ad Romanos. Haganoæ, per Joh.

*Secerium, Ao. 1527. in 8vo, Johannes Bugenhagius, Po-
 meranus, ad Lectorem ita scribit:*

Multi libri nunc, *Optime Lector*, excudantur invitis Au-
 toribus, licet viventibus, per quod quam malè consu-
 latur posteritati, quis ignorat, nisi sit valdè stupidus? Inter
 quos libros, inprimis plane habeo *meum Hiob*, qui jam his
 Nundinis Francofordianis, Anno Domini 1526. venit in ma-
 nus meas, haud gratus hospes. Vidi enim non esse eum,
 quem in Ecclesia nostra vulgo interpretatus fueram ante an-
 num, sed quem seclusa auditorum turba, ante quatuor an-
 nos, cum quibusdam Monachis contuleram. Judico planè
 ex eo plus emolumenti provenire venditori, quam lectori:
 quando etiam non huic, sed illi confulitur per talia, quæ

D

no-

nolentibus nobis invulgantur. Nemo huic pesti cupit sub-
 ventum, ne illæ quidem *civitates*, quæ *Evangelio Christi, Do-*
mini nostri favere dicuntur. Verum, quæ nunc vides in *E-*
pistolam Pauli ad Romanos, non gravatim (ne nos illæ *Har-*
pyiæ anteverterent) permifimus *Secerio nostro*, viro ut eru-
 dito, ita & fideli, quam primùm invulganda: quæ tamen
 à me non sunt scripta, sed à Doctore *Ambrosio Majobano* jam
 apud *Uratistavienses, Sacri Evangelii Ministro*, me publicè in
 schola non dictante, sed dicente, excepta: quo fit, ut admi-
 randum sit potius, quod hæc omnia sic excipi potuerint,
 quàm accusandum, siquid alicubi desideraveris. Nam ut
 nobis non vacat, ita neque necessarium ducimus, ex singu-
 lis nostris prælectionibus, singulos libros mundo obtrude-
 re. Ego tamen ista omnia pervidi, in quibus sic exceptis,
 si quid est, quod probaveris, Doctori *Ambrosio Majobano*, se-
 cundum Deum refer acceptum. Vale.

In Præfatione Annotationum in *Regum*

duos ultimos libros, Argentorati M.D.XXV.

in svô, *Johannes Bugenhagenus, Pomeranus,*
 ad Lectorem ita.

Satis fuisset, quod in *Samuelem*, pro modulo nostro, in-
 dicavimus, quo usu sacræ Historiæ legendæ sint, nisi au-
 ditores coëgissent, ut idem faceremus in duos libros *Re-*
gum, quos tertium & quartum vocamus. Quibus igitur
 illa usui fuerunt, accipiant & hæc, quæ ideo per nos in
 publicum edimus, *ne malè ab aliis edantur.*

III-

In Epistola Dedicatoria ad *Serenissimum*

Saxonia Electorem, FRIDERICUM &c. ita scribit:

Vide Ejus Comment. in Psalmos, Ao. M. D. XXIV.
in Fol.

SI *Verbum Dei* habet Traditio humana, *Verbum Dei* suscipio, non propter ipsam traditionem; sed propter *Dei Verbum*. Si non habet *Verbum Dei*, ex quo solo *Salus aeterna & Damnatio* cognoscitur, jam necesse est, mentiatur, sive promittat Remissionem peccatorum vel vitam, sive cominetur Damnationem. Cui ergo mendacia placent, placeant, *Deus* me ab illis conservet per *Jesum Christum, Dominum nostrum*, Amen. Ex his infero, quod nulla constitutio merè humana potest meam ligare conscientiam; deinde, quod quisvis traditionibus nituntur hominum ligare & regere conscientias, sunt veri *Anti-Christi*; sedere enim volunt in templo Dei, id est, in conscientiis & animabus nostris, ubi solum oportet sedere & regnare *Deum per Christum*. Istaë tamen additiones ad *Verbum Dei*, quas condemnat lex & omnis scriptura, dementant specie pietatis totum mundum, ut nemo hic possit esse securus, quin seducatur, & ad istum *Deum* alienum, sive recentem deficiat, nisi munitus sit intus *Verbo Dei*. At ubi mendacia ista, quæ se sub hypocrisi pro veritate venditant, nihil proficiunt, statim sanctissimi hypocritæ, qui maximè cavent irregularitatem, dicentes: *Nobis non licet interficere quemquam*, produnt sese esse *Viros sanguinum*, clamantes, blasphemantes in *Verbum Dei* propter suas traditiones, & desiderant unâ horâ simul perditos omnes *Dei veritatis cultores & Professores*. Hic brachium seculare invocant, qui brachium Dei perdiderunt, qui *potentiam & gloriam Dei* non agnoscunt. Hic cades territus infamia, dam-

nis, morte, quæ tibi intentantur, nisi *Deus* te conservet invocantem *brachium Ejus*. Istis duabus tentationibus omnes impugnamur, quæ sæpè tanta sunt, ut in illas, quas supra diximus, nos adigant, id quod ferè ubique *Psalmi* describunt, dum abominantur hominum Doctrinas, & precantur à Deo doceri & in Verbo Dei custodiri.

Ad

Meliorẽ hujus materiæ illustratiõnem adjicere lubet tam *Divi Patris, D. MARTINI LUTHERI querelas* de clandestinis falsorum fratrum molitionibus, quàm b. D. HIERONYMI WELLERI *Judicium* de b. BUGENHAGIO, unà cum MATTHÆI BLOCHINGERI, Rectoris olim Academiæ Wittebergensis, Programmate in funere b. D. JOHANNIS BUGENHAGII, POMERANI, publicato Wittenbergæ, die XX. Aprilis, Anno M D L V I I I.

D. Martinus Lutherus Tom. IV. Jen. p. 133.

QUam primum videris *Fratres* seu discipulos per fanaticos spiritus deceptos ab *Articulo Justificationis* deficere, statim comperies eos acerbissimo insectari pios odio, quos antea vehementer dilexerunt. Hoc experimur hodiè in *Pseudo-fratribus* nostris, *Sacramentariis*, *Anabaptistis*, &c. qui initio causæ *Evangelicæ* libenter nos audiebant, ac avidè nostra legebant *scripta*, agnoscebant *donum Spiritus S.* in nobis, ac propter illud reverebantur nos, tanquam *Dei ministros*. Quidam ex eis vivebant etiam ad tempus nobiscum familiariter, & modestissimè se inter nos gerebant. At ubi à nobis egressi & per fanaticos spiritus subvèrsi sunt, nemo magis infensus est *doctrinæ & nomini nostro*, quàm ipsi. Oderunt & *Papistas*, sed non tam atrociter, atque nos . . . cum tamen

men in re ne minima quidem eos offenderimus, aut eis dederimus occasionem persequendi nos odio, imò fateri cogantur, hoc unice nos querere, ut BENEFICIUM & GLORIA CHRISTI illustretur, & VERITAS EVANGELII purè doceatur. &c.

D. *Hieronimus Wellerus* Tom. Latin.

Secl. III. & IV. pag. 171. Lipsiæ 1702. Fol.

DOCTOR POMERANUS egregius fuit interpret *Scripturae* ἐξηγητής eruditus & peritus. Vix potest quisquam Theologorum reperiri, cui *Textus Sacrorum Bibliorum* tam familiaris & notus fuerit. Veram & Germanam sententiam *Scripturae* in docendo tradidit, auditoribus & lectoribus. Etsi enim non potuerit in interpretando splendorem verborum addere, ut D. *Lutherus* & D. *Jonas*; tamen proprio & perspicuo Orationis genere sensa mentis exposuit. Inter cætera D. *Lutherus* hoc ei præconium tribuit, quod *grave & sanum iudicium* haberet in rebus Theologicis, & quod esset *vir fortis & constans*.

Matthæus Blochingerus T. III. p. 158. sqq.

Scriptorum publicè propositorum à Gubernatoribus studiorum. Wittebergæ 1568. 8vo.

UT *Italia* vastatio secuta est *Ambrosii* mortem, *Augustini* mortem non solum vastationes; sed etiam dira supplicia piorum, & extinctio veræ doctrinæ in *Africa*: Ita post mortem Reverendi Viri, D. MARTINI LUTHERI mox tristia bella PRINCIPUM orta sunt; deinde nova & atrocissima

cia diffidia docentium. Ita nunc postquam Reverendus Vir, JOHANNES BUGENHAGEN, POMERANUS, *Theologiae Doctor, & Pastor Ecclesiae nostrae* ex statione sua ad *caelestis Ecclesiae* societatem abductus est, metuamus non levia mala, quae ut *Filius Dei, Dominus noster* JESUS CHRISTUS averteret, ipse quotidianis precibus & lacrymis petebat, & ut nos idem peteremus, assidue hortabatur. Ita non solum docendi laboribus, & dijudicatione multarum controversiarum; sed etiam lacrymis & precatione *Ecclesiam nostram* adjuvit annos octo & triginta. Interea vocatus ad alias *Urbes & Regiones* puram *Evangelii* doctrinam ibi quoque fideliter docuit, ex *Ecclesiis* impiam doctrinam ejecit, abolevit perniciosos ritus, repressit corruptelas & fanaticas opiniones, & constituit piam formam Ecclesiarum, duraturam ad posteritatem, in inlytis Urbibus, *Lubeca, Hamburga, Brunsviga,* in tota *Pomerania*, & in magna parte *Regni Danici*. Ac ut *Vetustas* discernens *Apostolos, Evangelistas, & Pastores*, nominavit *Evangelistas* eos, qui in diversis locis semina *Evangelii* spargebant; *Pastores* vero, qui in loco certo praerant *Ecclesiis*: Ita *hic Vir & Pastor noster*, & multarum gentium *Evangelista* fuit. Adeo autem integritatem ipsius & pietatem probarunt, cum alii multis sapientia & virtute praestantes, tum vero & inlytus REX DANICUS, ET REGINA, ut in publica celebritate ab hoc Viro praecipue voluerint sibi Coronas imponi, quo in ritu cum fiant testificatio, quod *legitima Imperia sint Dei opera & beneficia*, & invocatio ardentissima, ut *Deus* det salutarem gubernationem, PIUS REX maxime voluit adhibere *Virum sanctum*, reverenter de Imperiis sentientem & ardentem invocantem *Deum*. Testes sunt & omnes pii in hoc oppido, talem fuisse hunc *Pastorem Ecclesiae*, ut verè congruant doctrina & vita ejus ad normam, de qua PAULUS dicit: *Esse*

typus

typus fidelium in sermone, in conversatione, in dilectione, in spiritu, in fide, in castitate. Rectè docuit, mores fuerunt modesti & placidi, fuit justus & beneficus erga omnes, in oburgatione severus & intrepidus, acer in defensione veræ doctrinæ, ardens fide & spe in precatione, castus & severus hostis turpitudinum: *Tali & Pastore & Patre* cum simus orbati verè dolent omnes pii, & in publicò luctu non solum de orbitate hujus *Ecclesie*; sed etiam de futuris periculis cogitant, vosque adhortantur, ut consideretis publicas miseras, & precemini FILIUM DEI cum *Ecclesia* nostra, ut hic & alibi det pios & salutare *Pastores & Doctores*. Exemplo ejus etiam confirmemur. In hoc postremo actu vitæ, cum morbos & senectæ imbecillitatem placidè ferret, subinde & desiderium & certam spem vitæ æternæ ostendit, & gratiarum actionem precibus assidue miscuit, petens & sese Spiritu sancto confirmari & regi ac servari domesticam *Ecclesiam* suam & publicam. Hi fuerunt ejus sermones in hoc extremo agone adeò alacres de beneficiis Filii Dei, ut intelligi posset initia salutis & lætitiæ æternæ in eo accensa esse, cum sæpè hoc dictum repeteret: *Hæc est vita æterna, ut agnoscant Deum, & quem misit, JESUM CHRISTUM.* His se cogitationibus erigebat & lætabatur citò se ex hâc caligine in illam lucem transiturum esse. Cum autem in optimis studiis, in officio docendi *Evangelii*, in gubernatione *Ecclesiæ*, in omnium virtutum exercitiis, in assidua Dei invocatione tam diu vixerit, *annos videlicet septuaginta tres, minus duobus mensibus, Deo gratias agamus pro donis ipsi & Ecclesie per eum datis, & petamus Ecclesie tales Pastores multos, & nobis similia dona clementer tribui.* Hæc in funere cogitanda sunt, quod fiet hora septima. Data die XX, Aprilis, Anno MDLVIII.

Non

Non possum, quin hîc etiam adducam, quæ ad *Historiam Bugenbaganam* pertinent, paucissima ex literis Viri Amplissimi, *Danielis Justenii*, Secretarii Academiæ Aboënsis optimè meriti ad Cl. Virum; *Richardum von der Harde* die XVII. Calend. Octobr.

A. MDCC VI. *Aboæ* in Finlandiâ datis :

AD petitem *Tibi* mitto Titulum & Versus affcriptos Effigiei D. *Bugenbagii*, quæ Cathedralis nostri templi parieti appensa conspicitur. Versus illos, *Vir Politissime*, hîc seorsim legendos exhibeo. Inscriptio Effigiei D. *Bugenbagii* hæc est:

JOHANNES BUGENHAGIUS POMERANUS,
DOCTOR, PROFESSOR, PASTOR ET
SUPERINTENDENS;
B. LUTHERI IN REFORMATIONE RELIGIONIS
FIDELIS PARASTATES.
NATUS JULINI IN POMERANIA
ANNO M CCCC LXXXV.

DENATUS WITTEBERGÆ ANNO M. D. LVIII.
ÆTATIS LXXIII.

A latere tanquam in mensæ mappa sequentes leguntur versus:

Durch mich ist Dennemarck	Mein Lob ist Davids Harffe i
Zuf Christi Pfad gefehret;	Durch deren Seyten Macht
Auch Lübeck und Samburg	Viel viele Schlâffrige
Und Pommeren gelehret.	Zum rechten Licht gebracht.
Tandem & Coronidis loco	<i>Catalogum Scriptorum Bugenbaganorum</i> , B. L. auctiorem & juxta annorum seriem
descriptum iterum Tecum communico.	

CATA.

CATALOGUS SCRIPTORUM BUGENHAGIANORUM

Auctior & juxta Annorum seriem descriptus.

- J**oh. Bugenhagenii Pomerani, *Historia Pomerania, in qua seriem Principum, Bella, Ecclesiarum Constitutiones &c. ordine & prudenter descripsit, Anno 1521. Sumptibus Principis Bogislai, qui liber in Aula Principum asservatus est.*
- *Comment. in Psalmos, Bas. 1524. ii. Witt. 1526. 1535. 1544. in 4to ii. in Fol. 1524. Luth. T. II. Epist. pag. 241. valde commendatus. it. Annotationes MSS. Reperiuntur hoc MSS. Hamburgi in Biblioth. Templis St. Cathar.*
- *Annotationes in Deutr. Sam. Proph. i. e. duos libb. Reg. quibus adjecta conciliata ex Evangelistis Historiam Passi Christi & glorificati cum Annot. indice adjecto. Wit. 1524. 8vo it. Bas. 1524. 8vo it. Argent. 1524. 8vo.*
- *Annot. in Epist. Pauli ad Gal. Eph. Philipp. Col. 1. & 2. Thess. 1. & 2. Tim. Tit. Phil. & Ebræos; it. Concord. Evang. de Resurr. ac Ascensione J. C. Norimb. 1524. 12o. it. Bas. 1525. 8vo it. Argent. 1525.*
- *Confessio de Psalt. suo Germanice translato, quod Anno 1520. ex Basileâ prodiiit in lucem.*
- *Comment. in Epist. ad Romanos, ipso in schola Wittenb. interpretante, à Doctore Ambrosio Majohano, ut licuit, excepta. Haganoæ 1527. 8vo.*
- *Præfatio, quam scripsit in Roberti s. Antonii Barnesii, qui ejus inquisitio fuit, Articulus fidei latine editos, ut & in Andr. Knophii, vulgo Knæpkenii Interpret. in Epist. ad Rom. Witt. 1523. it. 1525. in die carnis privii; quibus addidit Bugenhausius hæc verba: Utinam potius per Christi Spiritum carnis adfectibus, quam carniæ esu privaremur.*
- *Comment in Acta Apostolorum, Witteb. 1524. ii. 1624. 8vo.*
- *Indices in Evangelia Dominicalia, Wittenb. 1524. 8vo. it. Augustæ Vindelicorum, 1525. 8vo.*
- *Postilla in Evangelia usque temporum & sanctorum totius anni servientia, ibid. eod. anno.*
- *De Conjugio Episcoporum & Diaconorum ad Veniendum Doct. Wolffg. Reissenbuseh, Monasterii Lichteb. Præcept. Wittenb. 1525.*
- Johann. Bugenhagenii *Oratio de iis, quæ in Psalterio, sub nomine ejus in Germaniâ translato, leguntur, Wittenb. 1526. 8vo.*
- *Von dem Christlichen Glauben und rechten guten Wercken wider den falschen Glauben*

- Glauben und erdichtete gute Werke; darzu wie man soll anrichten mit guten Predigern / daß solcher Glaube und Werke gepredigt werden ic. an die Stadt Hamburg. Nürnberg / 1527. it. ibid. 1531. Witt. 1529. 8vō.
- *Comment. in Jobum, Argent. 1526, 8vo. it. Basil. eodem anno.*
- *Pomerani Epist. Germ. contra novum errorem de Sacramento corporis & sanguinis Christi, qua suae fidei de Canna Domini reddit rationem, Witt. 1528.*
- *Braunschweigische Kirchen-Ordnung / Braunschweig 1528. in 8. Witt. 1543.*
- *Hamburgische Kirchen-Ordnung / Hamb. 1529.*
- *Comment. in II. Capita I. Epist. ad Cor. de sapientia & iustitia Dei, que est Christus, & de autoritate Scr. Sacrae & Doctrinae Apostolicae in Ecclesia Christi, Witt 1530. in 8vō.*
- *Sententiae ex Doctoribus collectae, quas Papistae valde imprudenter hodie damnant &c. Witt. 1530. 8vō.*
- *De Sacerdotio Christi in Epistolam ad Hebraeos &c. Lubeca 1531. 8vō.*
- *Christliche Ordninge der Keyserlichen Stadt Lübeck / tho Denste dem hilgen Evangelio / Christlicher Lehre / Suche Frede unde Eynicheit / vor de Yöget von eyner guten Scholen tho lerende. Unde de Kerken Denere und rechten Armen Christlik tho versorgende. Lübeck 1531.*
- *D. Athanasi Libros contra Idololatriam Gentium, & de Fide Sanctae Trinitatis cum praefatione D. Martini Lutheri, edicuraravit Bugenbadius, Wittenb. 1532. Epistolas vero Leonis Papa de duabus Naturis in Christo editurum promisit in Praefat. Athanasi libris praefixa.*
- *Libellus de Voris, quem ipse adducit in Annotat. in Epistol. P. III. 6.*
- *Tractat wider die Keck-Diebe / in welchem ihre Bübererey / so sie von Alters her mit dem vermeinten heiligen Blute getrieben haben / entdecket / Wittenberg 1532.*
- *Praefatio über Johannis Amsterdami Buch von der Lehre und Ampt der Kirchen-Diener und Kirchen Ordnung / contra Anabaptistas & Sacramentarios &c. gedruckt zu Bremen 1533.*
- *Pommerische Kirchen-Ordnung ic. Witt. 1535. 8vo it. 1542. in 4to.*
- *Praefatio in Henr. Dorpii Kelar. de Actis Monasteriensibus anno 1536.*
- *Schrieffte von guten Kirchen-Ordnungen / welche bey des Herrn Christoph von Haugwitz Dialogo: woher Thum-Herrn Canonici heissen / beygedrucket / Witt. 1536. 4to.*
- *Pia & vere Catholica & consentiens veteri Ecclesiae Ordinatio Cereemoniarum pro Canonicis & Monasteriis, Hafnia 1537. 8vo.*
- *Johann. Bugenbadii Ordinatio Ecclesiastica Regnorum Dan. & Norw. ac Ducatum Slesvici & Holsaiae, iussu Christiani III. Regis Dan. cujus diploma illi est praefixum, latine a Bugenb. conscripta, Hafn. 1537. 8vo.*
- Instructio*

- *Instructio Visitationis Saxonica translata in latinum propter Ecclesias Danicas, Roschildia 1538. 8vo. it. Hasnia 1616. in 8vo.*
- *Relatio de Gestis in Dania post reditum d. 4. Jul. ad Elect. Saxonie scripta. Anno 1541.*
- *De infantibus in utero extinctis &c. 1542. in 4to. Germanice. Ist eine Auslegung des XXIX. Psalms.*
- *Annotat. in tria priora Capita Matthai, Wittenb. 1543.*
- *Auslegung und Erklärung des Psalters aus dem Latein ins Deutsch gebracht an vielen Orten durch ihn selbst vermehret und gebessert Nürnberg 1563. it. Wittenberg 1679. in Folio.*
- *Pomerani Psalterium Davidis, & integri loci sacrae doctrine ex omnibus Prophetis, cum quibusdam aliis piis Canticis: haec latine conversa ab eodem &c. Anno 1544.*
- *De Conjugio, Adulterio & Divortio ad Regem Dan. Witt. 1545.*
- *Passio Domini nostri J. C. ex IV. Evangelist. Latino-Germanica cum Notis. Witt. 1546. 8vo. it. ibid. 1600. 8vo it. Latine concionibus explicata per Salom. Gesnerum, Witteb. 1619. 8vo.*
- *Annotat. in Johannem, Witt. 1546.*
- *Comment. in Jeremiam & Threnos, Wittenb. 1546. in 4to.*
- *Concio funebr. in obit. B. Luth. Wittenb. 1546. 1555. 1605. Rostock. 1611. Lips. 1647. 4to.*
- *Adhortatio ad vicinos, ne adjuvent hostes Evang. Witt. 1546. 4to.*
- *Bermahnung an die Böhmer/ Schlesier und Lusatier, 1546. in 4to.*
- *Libellus sententiarum ex Patrum Scriptis collectar. adjecta Praefat. Bungenhagii &c. Vid. D. Görzii Schedias. Historico-Theologicum de conversis Pontificiis &c. pag. 43.*
- *Ausschreiben an alle Superintendenten und Pastorn in dem Chur- Fürstenthum Sachsen wegen der grossen Kriegs-Rüstung Wittenberg 1546. in 4to.*
- *Beschreibung / was zu Wittenberg vorgegangen / als Kaiser Carolus V. die Stadt erobert / und wie die Universitat von Chur- Fürst Moritz wieder aufgerichtet worden ic. Witt. 1547. it. Jena 1705. 8vo.*
- *Commendation- Schreiben an Herzog Philippen in Pommern wegen D. Georgii Cracovii, Witt. 1548.*
- *Comment. in Prophet. Jonam, annexis utilissimis observationibus de vera poenitentia, quam Christus commendat nobis in Ninivitis, & de falsa poenitentia &c. Witt. per Vitum Creutzer, Anno 1550. 8vo.*
- *Passional- Büchlein / Witt. 1551.*
- *Oratio in obitum D. Lutheri, Anno 1555.*
- *Unterricht von der Tauffe und ungebohrnen Kindern / auch von denen*

79. 1230 64

Kindern / die wir nicht tauffen können und doch gerne tauffen wolten / Nürnberg 1576. 8vo.

- *Fragmenta de migrationibus Gentium in Occidentis Imp. Frf. 1614.*
 - *Psalmus XXIX. explicatus; etiam de Padobaptismo atque infantibus nondum natis, & illis simul, qui nati, baptizari non possunt &c. contra Anabaptistas &c. quem pro Ecclesiis Danicis & Norwagicis una cum Holsaticis &c. ex Germanico Autoris in latinum sermonem typus vulgari curavit Johannes Paulus Resenius, Seelandiae Episcopus, Hafniae 1632, in 8vo.*
 - *Anabaptismus. Notamus Feustkingium in eo esse, ut Bugenhagii Anabaptismum, Librum illum, nostris temporibus apprimè inseruirurum, recudi curet. vid. Nova Lit. Maris Baltici Febr. 1704. p. 64.*
 - *Exhortation von dem Nutzen des Sacraments / um derez Willen so es empfangen.*
 - *Epistola ad Lutherum, Gorgium Spalatinum &c.*
 - *Epistola ad Fideles in Anglia, que postea cum Job. Balei, Angli, scriptis impressa.*
 - *Epistola Christiana Germanica ad Generosissimam Matronam, Annam, Ducissam Stetinensem, in 4to.*
 - *Libellus de Exorcismo sermone vernaculo.*
 - *Confessio publica de Sacramento corporis & sanguinis Christi.*
 - *Historia, wie D. Luther in hohen Ansechtungen Geistlichen und Leiblichen in Gottes Willen zu leben und zu sterben sich ergeben.*
 - *Von der Evangelischen Messe / Wittenb. 1524. 4to.*
 - *Erfklärung des 1. Psalms / 1524. 4to.*
 - *Rathschlag / wie man das Sacrament empfangen sollte, 1524. 4to. Vid. Tom. 2. Autograph. Lutheri & Coetan. pag. 119.*
 - *Brief an die zu Riga in Lieffland / 1525. NB. Dieser Brief wird allegiret in Herrn M. Kraffts Historischen Bericht von denen Hollsteinischen Streitigkeiten.*
- Placuit etiam Catalago huic adjicere Scriptum illud Johannis Bugenhagii, junioris, (DOCTORIS BUGENHAGII NOSTRI Filii,) quem Professore in Academia Wittenbergensi, postea vero Praepositum Kembergensem exituisse constat,) nequis forte illud cum Scriptis Parentis, propter convenientiam nominis, ut in aliis sapius factum observamus, confunderet.*
- M. Job. Bugenhagii, Joh. Filii, Oratio de Gentilibus, qui dilacerarunt Romanum Imperium, Witteb. 1566. in 8vo. Vid. Petri Scavenii, Novum Regiae & Augustae Bibliothecae Complementum s. Designationem Librorum &c. Hafniae 1665. in 4to.*

OS (O) SO

m. c.

ffen
14.
ibus
on-
una
ty-
ous,
agii
vi-
64.
llen
gli,
An-
ind
en.
to.
cief
von
en-
RI
erò
um
ius
Ro-
ii,
io-
r.c


Pon Vg 1230, Qk

ULB Halle 3
004 831 004


vD 18







B.I.G.

Farbkarte #13

Q. H. 237, 10.

D. JOHANNIS BUGENHAGII,
Pomerani,
EPISTOLA APOLOGETICA

V_g
1230

Ad
DANLÆ ET NORVEGIÆ
REGEM,
Gloriosissimæ memoriæ,

CHRISTIANUM III.
&c. &c. &c.

Contra
Scriptores adiaphoristicos, aliosque *Obtre-*
clatores, Wittenbergæ, Anno M DL.
prima Octobris, scripta;

Nunc verò

Unà cum ejus *Apologia* adversus *Martinum*
Bucerum ad dilucidandam *Historiam Bugenagianam*,
Hafniæ, Anno M. DCC. VI. editam,
in lucem publicam
reducta

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

M. CHRISTOPHORO FRIDERICO LÆMMELIO.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SALE)

HAMBURGI,
Sumptibus Sam. Heylii & Jo. Gottfr. Liebezeitii, Anno MDCC IX.